

corpus ita conditum, vt in eo nulla esset pugna rebel-  
liosa, nulla pronitas libidinis, nulla immunitio vi-  
goris, nulla corruptio mortis. Quæ immortalitas  
tunc ab anima, sicut ab influente, à corporis aequali  
proportione, sicut à disponente, à ligno vitæ, sicut à  
vegetante, à regimine verò diuina potentia, sicut ab  
interius conseruante, & exterius protegente. Factus  
est sine culpa & miseria, nec ad culpam habuit fomi-  
tis incitamentum, quinimo datum est illi quadruplex  
adiutorium, primum ad rectè viuendum, quod est  
conscientia, secundum ad murmurandum contra ma-  
lum, & stimulandum ad bonum, quod est Syndare-  
sis, tertium scientia intellectum illuminans ad cog-  
nosendum deum suum, seipsum, & mundum istum,  
qui factus fuerat propter ipsum, quartum caritas ac-  
cendens affectum ad diligendum deum super omnia,  
& proximum sicut seipsum. Fecit itaque deus homi-  
nem ratione sapientem, vita innocetum, & dominio  
potentem, quia prepositus est cunctis creaturis, cuius  
felicitati inuidens diabolus tentauit experiendo in  
interrogatione, impellendo in assertionem, & allicien-  
do in promissione. Allexit enim mulierem in ratio-  
nali perscientiam, in irascibili per excellentiam, in  
concupiscibili per suauitatem ligni. Et sic inuidit,  
mentitus est, decepit, ex quo suis peccatis exigentib.  
sibi ipsi factus est & homini grauis. Multis enim op-  
pressus arumnis, vallatusque miseriis, cum nimio la-  
bore nunc indiget homo querere, quæ prius abunde  
posidebat. Hinc denique est, quòd ex in exercitatio-  
ne virtutum defudare necesse est, ne ex incuria vitio-  
rum spina, & concupiscentiarum tribuli germinantes  
in agro cordis & corruptione carnis reddant illum  
inutilem, & sine fructu ante deum. Solerti itaque eu-  
ra & non modica vigilandum est circa virtutem con-  
tinentiæ, quæ aliarum virtutum peropportuna auxi-  
liatrix est, & comes indiuidua, cuius laudabilis ope-  
ratio est, rationis in libidinem atque in alios non re-  
ctos animi appetitus summa & moderata dominatio.  
Continentia nanque quamuis omnibus, præcipue ta-  
men præsentibus necessaria sit, vt sine fide detrimen-  
to aliorum possint insistere profectibus. Nam qui ad  
huc impugnantium certamina vitiorum per consen-  
sum delectationis tolerant, aliorum curam suscipere  
non præsumunt. Quum verò tentationum bella per  
continentiæ virtutem subegerint, tunc animarum abs-  
que sui præiudicio poterunt fortiori custodiam. Non  
enim potest, qui præest subiectorum vitia liberè re-  
darguere, nisi ipse ab ipsorum fuerit operatione ali-  
enus. Mundet se prius per continentiam, qui aliorum  
inmunditiam mundare festinat. Hæc enim virtus  
continentiæ est, quæ hominem Deo subditum reddit,  
& hominibus rectè præsentem. Sic nanque diffini-  
tur, Continentia est amor. Deo sese integrum incor-  
ruptumque seruans, vel est nihil appetere peniten-  
dum, in nullo moderationis legem excedere, & sub-  
iugo rationis cupiditatem domare. Est etiam per odo-  
mitas vitiorum furias munda & honesta corporis ha-  
bitudo, de qua virtute scribitur infra dicitur.

*Quam luculemer ex his, qua inferuntur, claretur.*

**V**eluti ex corporali intuitu percipiuntur  
visibilia, atque ex eodem concupiscentia  
generatur, atque ex spirituali virtutū con-  
sideratione apparet dignitas illarum, nec

non & affectio ipsarum in corde concipitur. Tempo-  
ralium amor breuis, amarus, & perniciosus est, sed  
virtutum dilectio diuturna, delectabilis, & perutilis.  
Ille suum extra se trahit possessorem, hæc autem &  
colligit diligentem in se, & eleuat supra se. Tempora-  
lium amor animæ mors est, virtutis verò dilectio im-  
mortalitatis radix est. Primum vt exitiale venenum  
fugiendus est. Virtus etenim totis est præcordiis am-  
plectenda. Non poterit esse à peccato immunis, qui  
visibilem voluerit pasci deliciis, & absque iucundi-  
tate spirituali non erit, qui virtutum sedulus fuerit  
imitator. Quoniam autem non potest diligi, quod  
nequit intueri, vt diligenter legentis animus valeat  
in amorem & actum virtutis continentie, de qua ser-  
mo exortus est, accendi, conuenienter nunc in com-  
mendatione & utilitate ipsius insistendum est, quari-  
nus alacrior eo reddatur ad illam obrinendam, quo  
fructus eius opulentior & dignitas noscitur esse subli-  
mior. Virtus namque continentie adeo similis est, quod  
hominem quodammodo similem reddit naturæ ange-  
lica. Supergreditur nanque continentia humana  
naturæ conditionem, per quam homines vtuntur  
angelis assimilantur. Maior tamen in aliquo est victo-  
ria continentium quam angelorum. Angeli enim si-  
ne carne viuunt, continentem autem in carne trium-  
phant. Differuntque in hoc homo pudicus & angelus,  
quod angeli virginitas felicior, hominis verò conti-  
nentia fortior esse cognoscitur. Est continens Iesu  
Christi domus amabilis & pulcherrima. Pulchritu-  
dinem enim quis maiorem potest æstimare decore  
pudici, qui amatur à rege, probatur à iudice, dedica-  
tur domino, consecratur Deo. Hæc virtus homini ho-  
norem suum custodit. Honor hominis est libertas  
voluntatis, quæ apprehensa potest velle, & non velle.  
Nam in brutis & incontinentibus est seruitus ap-  
petitus, huic libertati opposita. Apprehenso enim de-  
lectabili accenditur concupiscentia eorum, nec ha-  
bent potestatem eam extinguendi. Merito igitur qui  
post carnem ambulant in ventrem & libidinem  
proni, quasi irrationabilia iumenta reputantur, de  
quibus legitur, Homo quum in honore esset, non in-  
tellexit, comparatus est iumentis insipientibus, & si-  
milis factus est illis. Deo etiam familiarem reddit  
continentia, de qua legitur, Incorruptio facit proxi-  
mum deo. Vnde pudica & continens anima de sua  
aliorumque concupiscentia ingemiscens ait domino,  
Domine per continentiam colligimur in vniuersa, qua  
dilapsa in multa defluximus. Vere enim minus se  
amat, qui tecum aliquid amat, quod non propter te  
amat. Ipsa virtus ad contemperationem Dei præparat,  
Nam continentia est amor, ab amore inferioris pul-  
chritudinis nos remouens, & eleuans ad superiorem.  
Nil enim nobis volentibus ad contemperationem acce-  
dere potius plus est fugiendum, quam ista sensibilia,  
quæ incontinentia maximum sunt momentum, Ca-  
uendumque magnopere est, dum hoc tegimur cor-  
pulo, ne quo carum visco pennæ nostræ impediatur.  
Quibus integris atque impollutis opus est, vt ad  
illam lucem inuisibilem, quæ nobis promissa est, ab-  
his tenebris euolemus, quam deus nec ostendere qui-  
dem dignatur in concupiscentiarum caeca incluisis,  
nisi tales fuerint, vt ista vel effracta vel dissoluta pos-  
sint in auras suas euolare. Diabolum multum offen-  
dit continentia. Scriptum est enim, Post concupiscentiam  
Laur. Iustin. b 2 tias

Pal. 18.